

mento text. in leg. final. ff. de Jurisdic. omnium judic. & in terminis ita tenet Bald. in cap. ex litteris, de Constit. in fin. idem Bald. in leg. 1. Codic. de Har. instit. 2. col. num. 6. Anchar. in cap. 1. de Constit. 17. fol. vers. 3. Principaliter, Felinus in cap. Qua in Ecclesiarum, eod. tit. col. 3. num. 11. Joan. de Imol. in Clement. pastoralis de re judic. col. 4. Jason in leg. Omnes populi, ff. de Justit. & jure, col. 10. num. 49. idem Jason in leg. Ubi pactum, Cod. de Transact. col. 6. n. 17.

Item adde, quod postquam reus delinquens condemnatus in absentia, est captus à iudice, non potest propria autoritate occidi ab offenso, nec habet locum licentia, & dispositio nostræ legis: quia tibi datur & competit officium ordinarium, cessat extraordinarium: & in terminis ita tenet Bart. Bald. & communiter DD. in leg. fin. Cod. de Malefic. & mathemat. idem Bart. in leg. Eiusdem, §. Transfuga, ff. ad legem Corneliam de siccar. Hippolyt. de Marsil. in leg. 1. eod. titul. col. 1. num. 3.

Item adde quod talis offensus non potest proditoriè vel cum veneno prædictum inimicum occidere, aliàs teneretur ut homicida, argumento text. in leg. 1. Cod. de Malefic. & mathem. ubi dicit text. quod plus est hominem extinguere veneno quam gladio: ergo non videtur illa mors permittat: & ex illo text. & consideratione istam sententiam & conclusionem novam & subtilem tenet Hippol. de Marsil. in Rubr. ff. ad leg. Cornel. de siccar. col. 2. num. 14. tenet etiam Philipp. Decius in cap. Qua in Ecclesiarum de Constitut. column. 6. ultra quos considero text. qui bene facit in leg. Aut damnum, §. Proinde, ff. de Penis, ubi habetur quod iudex vel executor, qui habet à lege facultatem alium occidendi, non potest eum occidere veneno; contrarium tamen probat text. in leg. Respicendum, §. Delinquent, ff. de Penis, & ibi expressè tenet Bartol. & alii DD. text. in leg. final. Cod. de Delatoribus; sed pro vera & notanda concordia ego dico sic, quod talis homicida teneretur tantum de excessu & sic de illa qualitate prodicionis, qua fecit delictum: non verò de totali delicto: & sic puniretur tantum extraordinaria pœna pro illo excessu, iudicis arbitrio, non verò pœna ordinaria, argumento textus in leg. 1. §. finali, ff. ad legem Corneliam, de siccar. & in leg. Si adulterium cum incestu, §. Imperatorem, ff. ad legem Juliam, de adulter. & in leg. Grachus, Cod. eod. tit.

18. Item adde quod licet talis offensus occidat inimicum suum in prædicto casu lege permittente, & non puniatur de jure, tamen in foro conscientie peccat mortaliter, nec legis permissio illum excusat: ita est Glossa singularis in Jure, in cap. Inter hac 33. quæst. 2. & ad hoc notant

& commendant ibi DD. & ad hoc illam Glossam reputat singulariter Abb. in cap. 2. de Homicidio, idem Abb. in cap. Veniens, el. 2. de Sponsat. idem Abb. & alii DD. in cap. Si verò, el. 1. de Sentent. excommun. Joan. de An. in cap. interfecti de Homicidio, Felinus in cap. Qua in Ecclesiarum de Constitut. 4. col. reputat etiam singularem Joan. de Imola in leg. Quid ergo, §. Si hæres, ff. de legat. 1. & ibi Moderni Jas. in leg. Ubi pactum, Cod. de Transact. col. 4. Idem Jas. in leg. Si plagii de Verbor. obligat. col. 1. num. 3. Hippolytus de Marsil. in sua Practica, §. Aggredior, col. 2. num. 11. idem Hippolyt. in leg. Patre, vel marito, ff. de Quæst. col. 1. Quod limita & intellige quando fecit ex rancore, & animo sumendi vindictam, secus tamen est si fecit zelo justitiæ pro bono reipublicæ ut executor: quia tunc non peccaret: ita tenet & declarat Felinus in dict. capite Qua in Ecclesiarum, de Constit. & Jas. in dict. leg. Si plagii, de verbor. oblig. S. Thom. in 2. 2. q. 63.

TEXT. LXXVII.

POR el delito, que el marido ò la muger cometiere, aunque sea de heregia, ò de otra qualquier qualidad, no pierda el uno por el delito del otro sus bienes, ni la mitad de las ganancias habidas durante el matrimonio: mandamos que sean habidos por bienes de ganancia todo lo multiplicado durante el matrimonio, fasta que por el tal delito los bienes de qualquier dellos sean declarados por sentencia, aunque el delito sea de tal qualidad, que imponga la pena ipso jure.

Id est:

Propter mariti aut uxoris crimen, etiam si sit hæreseos, aut cujusvis alterius qualitatibus, alter propter alterius crimen non debet amittere bona sua, aut suam mediam partem rerum durante matrimonio acquisitarum. Præcipimus autem ut pro acquisitis habeatur omne illud, quod durante matrimonio fuerit multiplicatum, quousque de utroque bonis propter ejusmodi crimen (ab altero admissum) iudicis sententia decretum fuerit; etiam si crimen ejus sit qualitatibus, ut pœnam imponat ipso jure.

COMMENTARI II

In Legem LXXVII.

SUMMARIUM.

1. Fiscus qui successit in bonis alicujus virtute confiscationis, tenetur restituere conjugii supersititi

titi medietatem lucrorum, sicut ipse condemnatus tenebatur.

2. In bonis superlucratu constanti matrimonio transit ipso jure dominium pro medietate in quemlibet conjugem, etiam in vita eorum.

3. Solus maritus potest alienare bona acquisita & superlucrata constanti matrimonio, sine consensu & voluntate uxoris.

4. Licet quis habeat à jure liberam facultatem alienandi aliqua bona, debet intelligi per contractum, non verò per delictum.

5. In generali mandato & administratione concessa, non videtur concessa administratio vel alienatio per dolum.

Nota dispositionem hujus legis, pro cujus perfecta declaratione & confirmatione dico & præsuppono, quod licet maritus & uxor reputentur socii, & inter eos communicentur & dividantur lucra acquisita constanti matrimonio, ut in leg. 1. & per totum titul. 4. lib. 5. Ordinament. tamen sicut socius non potest dispo- nere de bonis alterius socii, nec de parte eorum: item sicut hæres vel successor unicus ex sociis tenetur alteri socio partem communicare, & solvere prout ipse principalis tenebatur: ita eodem modo fiscus, qui reputatur hæres & successor condemnati, tenetur conjugi supersititi partem lucrorum, & sic medietatem solvere & communicare, argumento text. in leg. 2. Codic. ad legem Juliam de vi & in leg. Si marito, ff. soluto matrimonio, non similibus, & utrobique communiter DD.

Item etiam confirmatur, quia sicut uxor non tenetur de facto vel delicto mariti, nec socius tenetur ex delicto alterius socii, ut in leg. 2. Cod. Ne uxor pro marito, & in leg. Res uxoris, Codice de Donatione inter virum & uxor, & in leg. Si quis post hac, Cod. de Bonis præscript. & in leg. Sancimus, Cod. de Penis, & in leg. Si fratres, §. fin. ff. pro socio, & in leg. 1. §. Adeo in fin. eod. tit. ita etiam in nostro casu & materia, uxor non debet perdere medietatem lucrorum ex delicto mariti: nec è contra maritus ex delicto uxoris.

2. Item confirmatur, quia in bonis superlucratu & acquisitis constanti matrimonio ipso jure transit dominium & possessio in uxorem pro medietate, ut in leg. 1. in fine, cum leg. sequenti, ff. pro socio, ergo in ea non potest maritus ei præjudicare, nec è contra, argumento text. in leg. Id quod nostram, ff. de Regulis juris, cum similibus.

3. Rursus etiam & finaliter confirmatur & declaratur ista nostra lex, quia ratio ejus dubitandi est, quia licet hodie in nostro regno maritus & uxor reputentur socii, & lucra quæsitia in Ant. Gom. ad Leg. Taur.

ter eos constante matrimonio communicentur & dividantur, tamen solus maritus sine licentia nec consensu uxoris potest liberè alienare prædicta lucra ad libitum suæ voluntatis: ita disponit lex final. tit. 4. lib. 5. Ordinam. ergo videbatur quod posset per delictum ea alienare, argumento text. in leg. Alienationis verbum, ff. de Verborum signifi- cat. cum simil.

Sed contrarium expressè disponit nostra lex, & ratio vera & mentalis potest esse, quia licet per legem quis habeat liberam potestatem & facultatem administrandi & alienandi bona alterius, debet intelligi per contractum, non tamen per delictum: textus est singularis & unicus in jure in leg. 3. Cod. de Bonis proscriptorum, ubi habetur quod licet filius habeat peculium Castrense & possit liberè illud administrare, & alienare invito patre, tamen illud est verum & debet intelligi per viam contractus: secus tamen est per viam delicti: quia per delictum non potest alienare, nec in eo patri præjudicare: & ad hoc reputat singularem & unicum Bald. ibi & notant & commendant ceteri DD. reputat etiam singularem & unicum Joan. de Imola, in leg. Si finita, §. Si vectigalibus, ff. de Damno infecto, col. fin. Jason in §. Actiones, Instit. de action. 8. col. n. 62. ergo ita dicamus in nostro casu & lege, quod licet maritus possit liberè alienare bona quæsitia constanti matrimonio, tamen debeat intelligi per contractum, non verò per delictum.

Confirmatur etiam, quia in generali mandato, vel libera administratione non videtur concessa alienatio per dolum, text. est notabilis in leg. Creditor, §. Lucius, ff. Mandati, & ibi notat & commendat, Bartol. Alber. & communiter DD. Idem Bart. Paul. de Castro, & communiter DD. in leg. Si sic, ff. de Legat. 1. idem Bart. & alii DD. in leg. fin. ff. de Prætor stipul. Bald. in leg. fin. Cod. de Contrahend. emptio. idem Bald. in leg. 1. ff. de Milit. testament. idem Bald. in cap. Cum in jure peritus, de offic. delegat. penult. col. Jason in leg. Qui Roma, §. Duo fratres, ff. de Verborum obligatione, volum. 19. num. 75.

TEXT. LXXVIII.

LA muger, durante el matrimonio, por el delito puede perder en parte, ò en todo sus bienes dotales, ó de ganancia, ò de otra qualquier qualidad que sean.

Id est:

Uxor durante matrimonio propter crimen (aliquod) potest amittere omnia sua bona dotalia aut acquisita, aut cujuscumque alterius qualitatibus, in partem aut in totum.

Mmm 3

COM

COMMENTARIUM

In Legem LXXVIII.

SUMMARIUM.

- 1 Uxor constante matrimonio propter delictum non amittebat dotem nisi in quinque casibus.
- 2 Hodie de jure regio indistinctè potest dos confiscari in casibus in quibus bona veniunt confiscanda.
- 3 Quando inter maritum & uxorem intervenit pactum de dote lucranda, non confiscatur dos propter delictum.
- 4 Per delictum mariti dos non confiscatur, & an isto casu perdat usumfructum quem habet in bonis dotalibus, & applicetur fisco?
- 5 Per delictum uxoris, an ipsa uxor perdat dotem & applicetur fisco?
- 6 An uxor constante matrimonio perdat dotem etiam quoad usumfructum vivente marito?

1 **N**Ota dispositionem hujus legis: pro cujus perfecta intelligentia & declaratione dico & præsuppono, quod de jure communi uxor propter delictum non amittebat dotem, nec confiscabatur præterquam in quinque casibus & delictis, scilicet læsæ majestatis, violentiæ, parricidii, veneficii, homicidii: text. est capitalis & expressus in leg. *Quinque legibus*, ff. de Bonis damnatorum, & ibi Bartol. Alb. & communiter DD. & à fortiori propter delictum hæresis, text. est in cap. *Decrevi*, de hæret. lib. 6.

2 Sed hodiè nostra lex disponit contrarium, imò quod generaliter dos possit confiscari in totum & in partem, in casibus & delictis in quibus habet locum confiscatio, & per consequens æquiparantur bona dotalia aliis quibuscumque bonis: & ista est propria & principalis decisio hujus legis.

3 Adde tamen quod si pactum esset inter maritum & uxorem de dote vel parte lucranda, delictum uxoris non noceret marito, nec dos confiscaretur, sed remaneret salva marito, sicut quælibet alia actio vel obligatio quæ sibi competeret: ita probat text. in dict. leg. *Quinque legibus*, ff. de Bonis damnat. cum leg. seq. & ibi communiter DD.

4 Pro quorum majori declaratione dico & distinguo sic, quod si maritus commisit delictum, quodcumque illud sit, non confiscantur bona dotalia nec pars eorum: quia licet sit dominus, tamen tenetur restituere uxori, & sic habet bona

subjecta restitutioni, quæ alienari non possunt aliquo modo vel genere alienationis, text. est in leg. *Si quis posthac*, Cod. de Bonis proscriptor, text. in Authent. *bona damnatorum*, eodem titul. & ibi communiter DD. & idem disponit lex 7. tit. 8. part. 3. Dubium tamen necessarium est an saltem perdat usumfructum quem habet in rebus dotalibus, vel commoditatem ejus per tempus vitæ suæ? & certè videtur quod perdat, & interim durante matrimonio bona sint penes fiscum, & consequatur usumfructum & commoditatem ejus, sicut maritus deberet consequi & percipere.

Item etiam quia quando quis committit delictum propter quod bona veniunt confiscanda, similiter etiam confiscantur bona vinculata & subjecta restitutioni, saltem durante vita ipsius delinquentis: quia restitutio præcisa, & necessaria non debet fieri nisi post mortem naturalem secutam: ita probat text. singularis in jure in leg. *Staius Florus*, s. *Cornel. Felici*, ff. de Jure fisci, de quo articulo latius suo loco dixi. Sed his non obstantibus contrarium videtur verius & tenendum, imò quod statim bona restituantur uxori: quia maritus per talem confiscationem bonorum notoriè dicitur venisse ad inopiam, nec haberet uxor unde se aleret: & ista causa & ratio prædicta bona dotalia debent restitui uxori etiam constante matrimonio, pro sustentatione propria & familiæ: argumento text. cum materia in leg. *Ubi adhuc*, Cod. de Jure dotium, & in terminis ita singulariter tenet Bald. Novel. in tractat. *Dotis*, 7. part. *principalis*, 17. *speciali*.

Si verò mulier commisit delictum, aut soluto matrimonio, & tunc indistinctè confiscantur bona dotalia vel jura & actiones competentes pro ea, etiamsi bona adhuc sint penes maritum vel hæredes ejus: textus est formalis & expressus qui sic debet intelligi in leg. *Si constante*, s. *fin.* ff. *Solut. matrim.* & ibi notat Bart. Bald. Paul. Imol. Cuman. & cæteri DD. si verò talis mulier commisit delictum constante matrimonio, tunc in quinque casibus & delictis ut dixi, amittit dotem, & bona dotalia possunt confiscari: text. est in dict. leg. *Quinque legibus*, ff. de Bonis damnatorum. Hodie tamen indistinctè amittit dotem, & confiscantur bona dotalia, ut in leg. *nostra*: quæ clarè procedit quando per delictum talis mulier incurrit pœnam mortis, & matrimonium debet solvi.

Sed pulchrum dubium est, si mulier fecit delictum, per quod non incurrit pœnam mortis, sed aliam mitiorem: taliter quod debet remanere viva, an tunc confiscentur ejus bona dotalia constante matrimonio, etiam quo ad fructus pertinentes marito pro oneribus matrimonii, ut in leg. *Dotis fructus*, ff. de Jure dotium, & in leg.

Pro

Pro oneribus, Cod. eodem titul. & reperio quod Doctor Palac. Rubeus movet quæstionem in reper. rubr. de Don. inter vir. & uxor. fol. 46. §. 66. 4. col. & relinquit cogitandum. Sed mihi videtur absque dubio, quod pleno jure confiscentur prædicta bona dotalia, etiam quoad fructus pertinentes viro, & hoc tam de jure communi in illis quinque casibus in quibus fiebat confiscatio, quàm etiam de jure nostro regio, secundum quod indistinctè fit confiscatio in omnibus delictis per nostram legem Tauri: & ista est realis intentio prædictorum jurium, & DD. ibi; & ad huc isto etiam casu tenetur maritus præstare alimenta uxori constante matrimonio, & sic durante vita uxoris: nec ab isto onere & obligatione liberatur per confiscationem dotis. Primò, quia in dubio lex vel dispositio referens se ad aliqua bona, debet intelligi simpliciter & absolute in plena proprietate & usufructu: argumento text. in leg. *Restituere*, ff. de verb. Signif. text. in leg. *Videamus*, s. in *Fabiana*, ff. de Usuris: text. in leg. in *Condemnatione*, ff. de Regul. jur. Secundò, quia ista est alienatio necessaria per legem: undè meritò potest indistinctè fieri etiam constante matrimonio, argumento text. in leg. *Alienationes*, ff. *Famil. herisc.* Item etiam quia propriè dos dicitur constante matrimonio, ut notantur in Rubr. ff. *Solut. matr.* Prædicta tamen limita & intellige, ut procedant, quando bona dotalia sunt propria ipsius mulieris, vel fuerunt patris vel extranei, sed non stipulati sunt sibi reddi soluto matrimonio: secus tamen est si stipulati sunt dotem sibi reddi soluto matrimonio; nam tunc licet mulier committit delictum propter quod bona veniunt confiscanda, non debet confiscari illa dos patri vel extraneo debita ex suo contractu: text. est singularis & unicus in leg. *Si dotem*, Cod. de Jur. dot. quem ad hoc reputat singularem & unicum Bald. ibi 2. lectur. notat & commendat Odofred. Petr. Cinus, Jacob. Butr. Alber. Faber, Angelus, Salic. & communiter DD.

TEXT. LXXIX.

ORdenamos, y mandamos, que las leyes de estos Reynos que disponen que los Hijosdalgo, y otras personas por deuda no puedan ser presos, que no hayan lugar, ni se platicquen si la tal deuda descendiere de delicto, ò quasi delicto; antes mandamos, que por las dichas deudas esten presos, como si no fuesen Hijosdalgo, ò exemptos.

Id est:

Ordinamus ac præcipimus, ut horum nostrorum

regnum leges que disponunt, ut Fidalgui (Nobiles sicut quasi nobiles) & quædam alia persona, non possint propter debitum trahi in carceres, non habeant locum nec usum, si ejusmodi debitum venerit ex (commissio) crimine aut quasi crimine, quin potius præcipimus, ut pro ejusmodi debitis maneant incarcerari, haud minùs quam si Fidalgui non essent.

COMMENTARIUM

In Legem LXXIX.

SUMMARIUM.

- 1 An & quando nobilis possit incarcerari pro debito civili?
- 2 Quis sit effectus cessionis bonorum?
- 3 In debito descendentes ex delicto non habet locum cessio.
- 4 Quando nobilis negavit se nobilem tempore contractus, non gaudet privilegio.
- 5 An & quando debitor fugiens ad Ecclesiam gaudeat ejus privilegio.
- 6 Quis dicatur nobilis hodiè in nostro regno?

NOta dispositionem hujus legis, quod nobilis non potest incarcerari pro debito, nisi descendat ex delicto. Pro cujus perfecta intelligentia & declaratione dico & præsuppono, quod de jure communi debitor potest incarcerari, saltem donec cedat boni: text. est formalis & expressus in leg. 1. & per totum. Cod. *Qui bonis cedere possunt*, & ibi communiter DD. & idem disponit lex 1. & 4. tit. finali, part. 5. & effectus hujus cessionis est, quod bona vendantur & satisfiat creditoribus, & nihil penitus dimittatur debitori, nisi tantum pannicularia: ita probat text. in leg. *penult.* ff. de Cessione bonorum, & ibi Glossa ordinaria, Bartol. Alberic. & communiter DD. probat etiam text. in leg. *Divus*, ff. de Bonis damnatorum, ubi dicitur quod etiam ista reservantur condemnatis ad mortem, potest & debet fieri talis cessio sine aliquo actu ignominioso, text. est in leg. *antepenultima*, Cod. *Qui bonis cedere poss.* & ibi Glossa ordinaria & communiter DD.

Item etiam effectus hujus cessionis est, quod in bonis postea quæsitis non tenetur debitor in solidum, sed tantum in quantum facere potest: text. in leg. 4. ff. de Cessione bonorum, text. in s. *fin.* Instit. de action. & utrobique communiter DD. & idem disponit lex 3. tit. fin. 5. part. Quod est verum & procedit, præterquam si talis debitor bo-

bona sua in fraudem alienavit, & effectus est non solvendo, quia tunc non gaudet beneficio cessionis: textus est singularis & unicus in leg. fin. §. fin. ff. *Qua in fraud. credit.* quem ad hoc notat & commendat ibi Glos. ordinaria, Bartol. & communiter DD. & reputat singularem & unicum Alberic. fidejussor tamen non liberatur per talem cessionem debitoris, nec gaudet beneficio ejus: quia est beneficium merè personale, quod non transit ad alium: textus est singularis & unicus in leg. *Heres à debitore*, §. *Quod si stipulator*, in fin. ff. *de fidejussor.* secundum Bartol. Alber. Bald. Paul. & communiter DD. ibi: & idem disponit *lex 3. tit. fin. 5. part.* Hodiè tamen in nostro regno non prodest nec sufficit ista cessio debitori, sed præcisè tenetur solvere & in solidum, aliàs potest incarcerari, & debet detineri in carcere donec, solvat, vel serviat creditor in recompensam debiti: ita disponit *lex 5. tit. 12. lib. 5. Ordinam. & pragmatica 78. cum duabus sequentibus*, quæ quidem leges & earum dispositio habent locum in vili & plebejo, non verò nobili qui vulgo dicitur *Hidalgo*: & à fortiori in milite & majori dignitate constituto: ita determinat nostra lex, & ista est ejus vera & realis dispositio.

3 Et licet antea idem dispositum erat per *leg. 4. tit. 2. lib. 4. Ordinam.* tamen noviter ista lex intelligitur declarat, & addit, ut procedat & intelligatur quando tale debitum descendit ex contractu: secus verò si ex delicto vel quasi: quia tunc nobilis non gaudet prædicto privilegio, imò potest liberè incarcerari sicut quilibet plebejus: & in tantum est verum quòd nobilis non potest pro debito incarcerari, ut procedat & habeat locum etiam si renuntiet huic privilegio, imò etiam si renuntiet cum juramento: quia est remedium reverentiale toti generi nobilitatis, cui per particularem derogari non potest, argumento text. in *leg. Alia*, §. *Eleganter*, ff. *solutio matrimonio*, & ibi communis opinio.

Item quia nemo est dominus membrorum suorum, ut in *leg. Liber homo*, ff. *ad leg. Aquiliam*. Item quia est quædam species servitutis, cui nemo potest se obligare, ut in *leg. Titio centum*, §. *Titio centum*, el. 2. ff. *de Cond. & demonstrat.*

4 Limita tamen & intellige nostram legem cum materia, præterquam si tempore contractus & obligationis talis debitor negavit se nobilem: quia tunc non gaudet privilegio, sed potest bene incarcerari: quia ille qui negat qualitatem suæ personæ, ex qua datur sibi aliquod privilegium, amittit illud: textus est notabilis & ibi Glossa ordinaria & communiter DD. in *leg. 1. Cod. ad Maced.* text. in *leg. Qui cum se*, ff. *de Re judic.* text. in *leg. 1. & 2. & per totum*, Cod. *Si minor.*

se major. dixer. text. in *leg. 4. §. 1. ff. Quod cum eo*, text. in *leg. Quid enim*, ff. *de Dolo*, text. in *leg. fin. Cod. de Calum.* Quod limita & intellige nisi creditor qui cum nobili contrahit, sciret ipsum nobilem, quia tunc non amittit ejus privilegium, argumento text. in *leg. 1. Cum donationis*, Cod. *de Transact.* text. in *leg. His qui se obtulit cum leg. seq. & sequen. ff. de Rei vend.* text. in *leg. Qui se liti obtulit*, ff. *de Petit. hered.* textus in *leg. 1. §. Si intelligatur*, ff. *Adili. Edict.* textus in *leg. Ea quo*, ff. *de Contrah. empr.* text. in *leg. 1. §. fin. de Añon. empr.* text. in *leg. Nemo videtur de regul. jur.* Item intellige quando negavit scienter; secus si ignoranter: quia tunc non perdit ejus privilegium, argumento text. notab. in suo casu in *cap. 1. §. Vassallus*, el. 1. *Si de feudo defuncti contentio sit inter dominum & agnatum*, in *Usibus feud.* & ibi Bald. & communiter Feudista.

Quæro tamen an in casu, quo talis debitor non sit nobilis nec persona privilegiata, si fugiat ad Ecclesiam possit de ea extrahi, & breviter & resolutivè dico quod non: ita probat textus in *leg. Presenti*, §. 1. *Cod. de His qui ad Eccles. conf.* & ibi communiter DD. tenet etiam Abb. & communiter Canonista in *cap. Inter alia*, de *Immun. Eccles.* Hodiè tamen in nostro regno bene potest extrahi servata forma posita in *pragmatica pen. lib. Pragmat.* scilicet requisito iudice Ecclesiastico, ut extrahat & tradat judici seculari, præstita prius ab ipso iudice seculari cautione, quod non procedet contra debitorem ad pœnam corporalem, & si iudex Ecclesiasticus non fecerit, ipse iudex secularis poterit liberè facere, & extrahere sine scandalo, & hoc est hodiè dispositum in nostro regno, per dict. *pragmat.* ex eo quod debitor obligavit personam pro debito. Item etiam ex eo quòd contra personam debitoris est quoddam jus reale & quædam species servitutis: quia tenetur servire creditori pro debito.

Item quæro quod debitum dicatur descendere ex delicto, ut nobilis possit incarcerari? Et breviter & resolutivè dico, quòd illud quod principaliter venit & debetur, vel in consequentiam accessoriè ex officio iudicis, ut si ex furto, violentia vel alio delicto debeatur aliqua res: vel quando ex delicto in jure fit æstimatio civiliter in pecunia: vel quando ex aliquo delicto publico vel privato ut homicidii, falsitatis, vel alterius ultra pœnam corporalem fit condemnatio in aliquo interesse, partis, quia pro illo potest reus capi, & detineri in carcere licet sit nobilis, ut in nostra lege, & iste sit ejus verus & realis sensus & intellectus.

Postremò & finaliter quæro, quis dicatur no-

nobilis? & breviter & resolutivè dico quod nobilis dicitur ille, qui ex antiquo & privilegiato sanguine descendit, qui est exemptus ab oneribus & tributis plebejorum dignitate officio, vel scientia: ita probat text. in *leg. 1. & per totum*, Cod. *de dignitate*, lib. 12. & ibi Odofried. Bart. Platea, Lucas de Penna & communiter DD. & istam distinctionem tenet expressè Baldus in *leg. fin. Cod. de Servis fugit.* in fin. & in tantum filius vel descendens ab isto dicitur nobilis, quod etiam si mater vel linea materna sit vilis & plebeja, dicitur nobilis: quia potentior est substantia & materia quàm forma: & ab ea denominatur tamquam à potentiori causa & effectui. Ex quo subinfertur, quod si mater sit nobilis, & pater vilis & plebejus, filius & descendens erit plebejus, & non gaudet privilegio nobilitatis: ita probat textus notabilis in *leg. Nobiliores*, Cod. *de Commer. & mercat.* & ibi DD. textus in *leg. fin. Cod. de Servis fugiivis*, & ibi Bald. & alii DD. text. in *cap. Venerab. de præbend.* text. in *leg. 2. & 3. tit. 21. part. 2.* textus in *leg. 1. tit. 10. part. 7.* Item etiam in tantum hoc est verum, ut procedat & habeat locum etiam si filius vel descendens sit naturalis tantum: quia cum illud jus & privilegium descendat à sanguine, & jura sanguinis & naturalia reperiantur in eo, meritò ad eum transit nobilitas & ejus privilegium, argumento textus in *leg. Generaliter*, §. *Cum autem*, Cod. *de Instit. & substit.* text. in *leg. Ex facto*, §. *Si quis rogatus ad Trebel.* textus in *leg. Cum pater*, §. *Volo*, de *legat. 2.* textus in *leg. Lucius*, la. 2. §. *fin. eodem tit.* & in terminis ita tenet Bartol. in *leg. final. Cod. de Verborum signif.* & ibi communiter alii DD. & ita disponit text. in *leg. 1. tit. 11. part. 7.* Quod tamen limita & intellige, quando est natus ex unica concubina retenta in domo, secus verò si sit spurius vel vulgò quæsitus: quia tunc propter incertitudinem non gaudet tali privilegio, ut tenent prædicti DD. & probat textus in *leg. Pen. ff. de Concubinis*, & ibi Bartol. & communiter DD. text. in *Authent. licet*, Cod. *de Natur. liber. & unde sumitur*, & probat expressè *leg. 3. tit. 11. part. 4. & lex 2. & 3. tit. 13. part. 4. & leg. 1. & 2. & per totum*, tit. 14. part. 4. Et si quæras quare filius sequitur conditionem & statum matris & non patris, quoad libertatem vel servitutum & per consequens si mater est libera & pater servus, filius erit liber: si verò mater est serva, & pater liber, filius erit servus: ut in *leg. Partum*, Cod. *de Rei vend.* dicit quod vera & fundamentalis ratio est, quia in causa status est major favor filiorum, quia tribus temporibus attenditur libertas & status matris, scilicet conceptionis, partus, & medii temporis, ut in *leg.*

Servorum, §. *Ingenui*, ff. *de Statu hominum*, & in §. 2. *Instit. de ingenuis*, quoad nobilitatem verò non attenduntur prædicta tempora, idè quoad eam filius necessariò sequitur conditionem patris, per prædictas rationes, & in terminis istam rationem ponit Bald. in *leg. fin. Cod. de Servis fugit*, & privilegia eorum vide per *leg. 1. & totum tit. 2. lib. 4. Ordinationem.* Item adde pro complemento, quòd mulier quæ nubit viro nobili dicitur nobilis & gaudet privilegio mariti; maritus verò non gaudet privilegio uxoris textus est in *leg. Fæmina*, ff. *de Senat.* & ibi communiter DD. text. in *leg. mulieres*, Cod. *de Dignit. lib. 12.* text. in *leg. Mulieres*, Cod. *de Incolis*, lib. 10. text. in *leg. 3. tit. 21. part. 2.* & durat tale privilegium post mortem mariti, dum fuerit vidua, ut dictis juribus, & in *leg. Filii*, §. *Vidua*, ff. *ad Municipales.*

TEXT. LXXX.

EL marido no pueda acusar de adulterio á uno de los adulteros seyendo vivos: mas que á ambos adultero, y adultera los haya de acusar, ó á ninguno.

Id est:

Maritus accusare non possit adulterii adulterorum alterum illis viventibus, verum ut utrumque accuses adulterum videlicet & adulteram aut (eorum) nullum.

TEXT. LXXXI.

SI alguna muger estando con alguno casada, ó desposada por palabras de presente en faz de la Sancta Madre Iglesia cometiere adulterio, que aunque se diga, y pruebe por algunas cosas, y razones que el dicho matrimonio fue ninguno, ora por ser parientes en consanguinidad, ò afinidad dentro del quarto grado, ora porque qualquiera dellos sea obligado antes á otro matrimonio, ò haya fecho voto de castidad, ó de entrar en Religion, ò por otra cosa alguna, pues ya por ellos no quedó de hacer lo que no debian, que por esto no se escusen à que el marido pueda acusar de adulterio, assi à la muger, como al adultero, como si el matrimonio fuesse verdadero: Y mandamos, que en estos tales que assi habemos por adulteros, y en sus bienes se execute lo contenido en la ley del fuero de las leyes que fabla cerca de los que cometieren delicto de adulterio.

Id est:

Si quæ mulier alicui nupta, aut sponsa per verba de